

11° Curet confessarius ut sui poenitentes ad sacram communionem imparati non accedant, et post communionem in gratiarum actione convenienti tempore immorentur. « Paucissimi sunt directores qui sedulo id faciant, » ait S. Ligorius, n. 156, quia paucissimi sunt sacerdotes » qui, post missæ sacrificium, cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare » quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per » horam integram durare deberet; fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando et petendo se exercent. » Nos petimus ut fiat gratiarum actio saltem per unum quadrantem, in summa recollectione, cum plena fide, ardenti amore, etc.

### CAPUT SEPTIMUM.

#### DE EFFECTIBUS EUCHARISTIE.

Varios hujus sacramenti effectus recenset et evolvit S. Th., in tota questione 79, 3 part. De illis quædam breviter dicemus.

1° Eucharistia producit ex opere operato gratiam sanctificantem, et hoc habet commune cum cæteris sacramentis, sed excellentius est, quia ipsum gratiæ auctorem continet. Gratia autem hujus sacramenti per modum spiritalis nutritionis producit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, Joan. vi, 56. Supponit ergo animam vivere, quia prius est esse quam nutriri: ideo dicitur sacramentum vivorum, et gratia ejus est per se augmentum gratiæ sanctificantis, cum jure ad gratias actuales suo tempore obtinendas, si obex eis non apponatur. Unde Eug. VI, in Decreto ad Armenos, ait: « Hujus » sacramenti effectus, quem in anima operatur digne summentis, est adunatio hominis ad Christum. Sequitur » quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia » augeatur; omnemque effectum quem materialis cibus » et potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem » quoad vitam spiritualem et hoc sacramentum operatur. »

2° Dat jus ad æternam gloriam, juxta hæc ipsius Christi verba, Joan. vi, 55: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Hinc ab Ecclesia dicitur *pignus gloriæ*.

3° Quicumque conscientiam peccati mortalis habens, ad sanctissimum illud sacramentum accederet, ex omnium confesso enormis sacrilegii reus fieret, judicium sibi manducaret et biberet: sed communius et probabilius docent theologi cum S. Th., q. 79, art. 3, illud sacramentum ab eo susceptum qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet, nihilominus conferre gratiam sanctificantem, quæ per accidens fit gratia prima, sicut poenitentiae sacramentum homini jam justificato collatum, producit gratiam ex se primam, quæ per accidens fit secundaria. Vide quæ in Tractatu *de Sacramentis* diximus. Hæc sententia recte intellecta nullum habet periculum, cum peccati mortalis conscientiam et omnem ad illud affectum excludat.

4° Peccata venialia remittit, vel directe, vires animi reficiendo, sicut cibus materialis vires corporis restaurat; vel indirecte, charitatis fervorem peccato veniali oppositum augendo. Unde concilium Trid., sess. 13, cap. 2, ait Christum illud dedisse *tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis*. Hinc in oratione pro ablutione secunda in fine missæ, congruenter dicimus: *Præsta ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta*, ut deleantur tum peccata venialia, tum per accidens peccata mortalia ignota.

5° Eo sensu etiam intelligi possunt præcedentia verba quo Eucharistia, ut sacramentum, poenam peccatis debitam indirecte remittat, fervorem excitando; si vero ut sacrificium spectetur, hujusmodi poenam directe potest remittere, *ut in secunda parte ostendemus*.

6° Divina Eucharistia præservat a peccatis, ut in concilio Trident., sess. 13, cap. 2, habetur: « Quo liberemur » a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præserve- » mur. » Et hoc fit dupliciter, ut ait S. Th., art. 6: « Uno

» modo in quantum natura hominis interius roboratur  
 » contra interiora corruptiva... alio modo, per hoc quod  
 » munitur contra exteriores impugnationes. »

7° Gratia hujus sacramenti ex opere operato produ-  
 citur, in ipso instanti quo sacræ species in stomachum  
 trajiciuntur; quia tunc proprie fit manducatio vel potus  
 sumptio.

8° Eucharistiæ sacramentum aliis quam realiter sumen-  
 tibus prodesse potest: quia 1° ut opus religionis præstan-  
 tissimum, pro aliis tam vivis quam defunctis offerri potest.  
 2° Qui hoc sacramentum digne suscipiunt, strictiorem cum  
 Christo acquirunt unionem, et efficacius pro aliis orare  
 possunt. 3° Anima quæ divinam alimobiam hanc realiter  
 suscipere non potest, eam ardentem desiderando, gratiam  
 aliquam ex opere operantis consequitur, et est communio  
 spiritualis. Ergo.

9° Peccata venialia actu complacentia, vel in ipsamet  
 communionem admissa, ut vana gloria, voluntaria distrac-  
 tio, etc., substantiam gratiæ sanctificantis non impediunt;  
 sed illius mensuram minuunt, quia charitatem ex parte  
 lædunt. *Sic omnes post S. Th., q. 79, art. 8.*

## PARS SECUNDA.

### DE EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRIFICIUM.

Vox *sacrificium*, a sacro faciendo derivata, significat,  
 latiori sensu, id omne quod Deo in ipsius honorem et cul-  
 tum offertur, videlicet orationes, laudes, adorationes, cæte-  
 rosque actus virtutum, præsertim virtutis religionis. Eo  
 sensu dicitur in Scripturis: 1° *Sacrificate sacrificium jus-  
 titiæ, et sperate in Domino*, Ps. VI, 6; 2° *Immola Deo  
 sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua*, Ps. XLIX,  
 14, et ibid. v. 23: *Sacrificium laudis honorificabit me*;  
 3° *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum  
 et humiliatum Deus non despiciet*, Ps. L, 19; 4° *Sacri-*

*ficiam salutare est attendere mandatis, et discedere ab  
 omni iniquitate*, Eccli. XXXV, 2, et ibid. v. 4: *Qui facit  
 misericordiam offert sacrificium*; 5° *Obsecro vos, fratres,  
 per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hos-  
 tiam viventem, sanctam, Deo placentem*, Rom. XII, 1.

Nullum est dubium quin sacrificium, sic generaliter  
 sumptum, semper, pro cunctis hominibus et in omni  
 statu, fuerit necessarium, etiam jure naturali; quia  
 omnes homines libere agentes Deum amare, laudare,  
 benedicere et cultu saltem interno honorare tenentur.  
 Ergo.

Sacrificium vero, stricte sumptum, specialis est virtutis  
 religionis actus, quo supremum Dei dominium in omnes  
 creaturas per alicujus rei sensibilis oblationem et destruc-  
 tionem agnoscitur, et a multis definitur: *Oblatio externa  
 rei sensibilis, divinitus instituta, soli Deo per ministrum  
 legitimum facta, cum destructione rei oblate, vel aliqua ejus  
 immutatione, ad recognoscendum supremum Dei dominium  
 in omnes creaturas.*

Dicitur 1° *oblatio*: quæ vox tenet locum generis: omnis  
 quippe oblatio non est sacrificium, sed omne sacrificium  
 est oblatio.

Dicitur 2° *externa*; quia, juxta omnes, sacrificium pro-  
 prie dictum ad cultum Dei externum pertinet: non suffi-  
 ceret ergo oblatio interna.

Dicitur 3° *rei sensibilis*, ut scilicet oblatio aliis homi-  
 nibus pateat et vinculum sit religionis: sic etiam omnes  
 apprehendunt.

Dicitur 4° *divinitus instituta*; quia exterior cultus non  
 est certe Deo gratus, nisi ab ipso immediate vel mediate  
 fuerit determinatus: sacrificium autem præcipuus est cul-  
 tus externi actus. Ergo.

Dicitur 5° *soli Deo facta*; quia sacrificium stricte sump-  
 tum eminentior est actus supremæ religionis. Ergo soli Deo  
 competere potest, et ideo additur in definitione: *ad reco-  
 gnoscendum, etc.*

Dicitur 6° *per ministrum legitimum*; quia, cum ille  
 actus propter Deum et nomine religiosæ societatis offera-